



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quām extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de
Romæ, M. DCC. XIX.**

Casus II. Argumentum. Congrua debita Parocho, sive Vicatio perpetuo
præsentato ad Ecclesiam Parochialem subjectam Monasterio Regularium,
in quibus, & in qua summa assignari, & taxari debeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](#)

- non recipit ab illa potestatem, & tunc factum non est nullum.
- 7 Hoc supposito ad dubium respondendo, censeo dicendum Institutionem Præsentati factam per Episcopum absque prævia assignatione congruae sustineri, tum quia in hoc Canone non fuit à Clemente V. apposita pena inferens necessariò nullitatem actus, sed solum inhibetur Episcopis sub obtestatione Divini judicii, ne instituat Præsentatum in Parochiali Ecclesia absque assignatione congruae portionis, tum quia Ordinarius non recipit potestatem instituendi ab hoc Canone, ita *Gloss. hic verb. Inhibentes, Lambertin. de jurepatronat. lib. 2. par. 3. quæst. 10. artic. 4.*
- 13 Ordinarius in assignatione congruae, ad quam respicere debet?
- 14 Congrua est veluti dos Parochi ad supportanda onera matrimonii spiritualis.
- 15 Divus Pius determinavit congruam debere esse certam, sed non minorem quinquaginta, nec majorem centum scutorum. Intellige, ut num. 16.
- 17 Parochus debet esse contentus congrua sibi sufficienter assignata.
- 18 Vicarius perpetuus præsentatus ad Ecclesiam Parochiale spectantem ad Regulares an teneatur se conformare Constitutionibus Synodalibus, & Ordinationibus Episcopi, quoad omnia in ordine ad Sacramentorum administrationem, & curam Animarum.

ARGUMENTUM.

Congrua debita Parocho, sive Vicario perpetuo præsentato ad Ecclesiam Parochiale subiectam Monasterio Regularium, in quibus, & in qua summa assignari, & taxari debeat.

SUMMARIUM.

- 1 Congrua semel assignata, & acceptata non potest amplius augeri, nec minui. Amplia, ut num. 2., limita, ut num. 10.
- 3 Enumerantur plures species emolumentorum Parochialium.
- 4 Congrua an & in quibus emolumentis incertis assignari possit Parocho, sive Vicario perpetuo, & num. 5.
- 6 Monasterium si percipiat decimas tenetur augere, & assignare Congruam Vicario perpetuo, etiam in decimis, constito de insufficientia ejusdem congruae. Amplia, ut num. 8., & quare vide num. 9.; Secus si non percipiat decimas, quia tunc cogi debent Parochiani, & num. 7.
- 11 In assignatione congruae nulla habenda est ratio emolumentorum, quæ Parochus, sive Vicarius perpetuus ex aliis Beneficiis, vel legatis extra Ecclesiam Parochiale percipit.
- 12 Congra in qua summa sit taxanda, & assignanda Parocho; Concilium Tridentinum totum reposuit arbitrio Ordinarii,

CASUS II.

VIcarius perpetuus Ecclesiae Parochialis A subjectæ cuidam Monasterio Regularium experiens congruam sibi in actu suæ provisionis à Regularibus assignatam in scutis decem derrahendis ex bonis ejusdem Parochiæ, & in emolumentis funerum Baptismatum, & Matrimoniorum, esse minus sufficientem pro ejus sustentatione, ut potè ascendentem solum ad scuta quindecim circiter petiit ab eisdem Regularibus, ut congrua hæc sibi augeatur, & assignetur etiam in decimis, quas Regulares percipiunt, & exigunt à Parochianis dictæ Parochiæ; Queritur in hoc casu, an dicta congrua sit huic Parocho augenda, & assignanda etiam in decimis.

Quod non sit augenda, nec assignanda in decimis suadere videtur factum ipsius Vicarii, seu Parochi, iste enim Præsentatus à Regularibus ad Ecclesiam Parochiale, eam acceptavit sub congrua portione sibi assignata in dictis scutis decem, & in emolumentis funerum Baptismatum, & Matrimoniorum, & cum ea unitim cum fructibus cuiusdam simplicis Beneficii, quod retinebat, vixit per aliquot annos, successivè proinde prætendere non potest, ut sibi augeatur, & assignetur dicta congrua etiam in decimis, quia congrua semel assignata, & acceptata non potest amplius augeri, & sibi imputare debet Vicarius, quod acceptaverit congruam nimis tenuem, Tondut. quæst. benef. cap. 58. num. 6. tom. 1., Rot. dec. 239. num. 1.

num. 1. par. 2. Rec. Panimoll. dec. 15. anno-
tat. 2. num. 11. ; Fortius animadvertiso,
quod congrua in dictis emolumentis fuit
ei assignata de consensu Episcopi , adeo-
que præsumitur sufficiens, cum jura in hu-
jusmodi assignatione conscientias Ordina-
riorum onerent. Tondut. d. cap. 58. n. 9. t. o. 1.

Non obstat, quod supradicta emolu-
menta ut potè incerta computari non
possint in congruam, Gratian. discept. 399.

3 num. 19. ; Quoniam plures distinguendæ
sunt species emolumenterum , alia enim
sunt emolumenta merè incerta, & volun-
taria , quæ dependent à pia devotione, &
pietate Fidelium, ut sunt oblationes, &
eleemosynæ; Alia sunt incerta non merè,
sed ex longa observantia quodammodo
certa , ut sunt oblationes, quæ fiunt
quolibet anno occasione festivitatis ali-
cujus Sancti Parochiæ , e. g. oblationes ,
quæ fiunt in cera, & pecuniis, occasione,
qua die commemorationis S. Antonii du-
cuntur ad ejus Ecclesiam equi , & alia
animalia pro eorum benedictione ; Et
alia sunt pariter incerta non merè, sed
ex dispositione juris quodammodo certa ,
ut sunt emolumenta parochialia Funer-
rum , Baptismatum , & Matrimoniorum,
quæ ex dispositione juris certò debentur

4 Parocho. Quamvis congrua assignari non
debeat Parocho, aut Vicario perpetuo in
emolumentis merè incertis, & volunta-
riis, Pignattell. consult. 167. num. 8. tom. 9.
Tondut. quæst. benef. cap. 58. num. 3. & 5.
tom. 1. , Rot. decis. 5. num. 3. & seq. par. 2.
divers. & decis. 420. num. 2. par. 1. Rec. &
decis. 734. per tot. coram Coccin. ; Tamen
assignari potest in emolumentis quoad se
quidem incertis, sed ex observantia; &
dispositione juris quodammodo certis, ut
sunt illa, de quibus agitur; Card. de Luc.
de Paroch. disc. 18. num. 12. , & de Benefic.
disc. 90. num. 73. & in annot. ad Concil. dis-
curs. 9. num. 8. , Pignattell. consult. 44. nu-
mero 9. tom. 8. , & expressè declaravit
S. Pius in ejus Constitutione la 46. Bullar.
vet. , ibi -- Computatis omnibus etiam in-
certis emolumentis .

6 Sed his minimè attentis existimo con-
gruam esse augendam , & assignandam à
Regularibus dicti Monasterii huic Paro-
cho , etiam in decimis; Constat enim de
evidenti illius insufficientia, & tenuitate,
quæ computatis certis , cum incertis vix

Pars IV.

ascendit ad annua scuta quindecim; con-
stat etiam dictum Monasterium exigere
decimas à Parochianis ejusdem Parochiæ;
unde licet Monasterium , Capitulum, aut
Collegium , quando percipit ab Ecclesia
Parochiali sibi unita solum emolumen-
ta Baptismatum , Matrimoniorum , &
Funerum non teneatur assignare Paro-
cho , sive Vicario perpetuo aliquid aliud
ultra dicta emolumenta, sed si hæc sint
insufficientia pro congrua Vicarii susten-
tatione cogi debent Parochiani ad sup-
pletionem Concil. Trident. cap. 4. sess. 21.
de reform., Cardin. de Luc. de Paroch. dis-
curs. 18. num. 10. & seq. , & resolutum fuit
à Sacra Congregatione Concilii me stu-
diente apud R. P. D. Petra in Melphien.
Congruæ 27. Junii 1711. , ubi propositis
inter cetera sequentibus Dubiis. Primò--
An Parocho S. Nicolai Terræ Bariliis debeat
Congrua? & quatenus affirmativè --
Secundò -- An, & à quibus illa debeat --
Tertiò -- In qua quantitate , & in quibus
effectibus , seu emolumentis sit eadem Con-
grua dicto Parocho assignanda; in casu &c.
responsum fuit ad Primum Affirmativè ,
ad Secundum à Parochianis , ad Tertium
Arbitrio , & conscientia Episcopi , compu-
tatis de jure computandis . Tamen quan-
do ultra dicta emolumenta Monasterium
percipit decimas , congrua assignari de-
bet etiam in decimis usque ad sufficientem
Vicarii sustentationem , juxta Abbat.
in cap. Cum contingat num. 7. de decim. , Ton-
dut. quæst. benef. cap. 58. num. 1. & 16. to-
mo primo , Pignattell. consult. 127. num. 3.
tom. 4. , Rot. dec. 112. num. 5. & 16. par. 19.
Rec. & in Burgen. Decimarum de Bellorado
26. Novembris 1714. §. fin. coram R.P.D.
Crispo , & in Compostellana Congruæ 11.
Februario 1715. §. Cum enim coram R.P.D.
8 Foscaro. Etiamsi Vicarii antecessores con-
tentи fuerint, & acceptaverint congruam
in emolumentis Funerum , Baptismatum,
aut Matrimoniorum , aut inter ipsos , &
Monasteria fuerit inita concordia super
assignatione congruæ in dictis emolu-
mentis , quia cum constet de insufficientia
ejusdem congruæ , talis acceptatio , &
concordia afficeret eosdem antecessores ,
& remaneret personalis , nullatenus suc-
cessorum obligatoria , Card. de Luc. de
Paroch. disc. 20. num. 4. , Rot. decis. 152.
coram Gregor. , ibique Adden. & decis. 152.

E num. 1.

num. 1. par. 2. Rec., & decis. 429. num. 3.
& seqq. cor. Gregor., Panimoll. decis. 15.
coram Buratt., & decis. 402. num. primo
par. 5. Rec.

9 Ratio autem fundatur in ipsa natura
decimarum, istae namque sunt proprium
pabulum, & patrimonium Parochorum,
ab initio pro eorum sustentatione reser-
vatum, ex Textu in cap. Omnes Decimæ 16.
quaest. 7. cap. fin. de Paroch., Rebuff. de De-
cim. quaest. 7. art. 4. Rot. decis. 420. num. 6.
par. 3. Rec., & in Varsavien. Decimarum
prima Julii 1715. §. De jure namque, &
in Crucovien. Decimarum 16. Martii 1716.
§. Prætermissa, coram R.P.D. Foscari. Justa
igitur, & rationabilis est præsens instan-
tia Vicarii, ut congrua sibi augeatur à
dictis Regularibus, & detrahatur etiam
ex Decimis, quibus tale onus adhæret,
juxta Text. ia can. primo 16. quaest. 6. cap.
Cum contingat, cap. Cum in tua, cap. Paro-
chianus de Decimis, Rebuff. de Decim. par. 7.
num. 4., & alios quos refert, & sequitur
Rota in Toletana Decimarum de Capilla su-
per Congrua 6. Maii 1718. §. Verum, coram
R.P.D. Foscari.

10 Hinc patet responsio ad ea, quæ supe-
riùs pro ratione dubitandi in contrarium
adducebantur. Siquidem quod congrua
semel assignata, & acceptata non possit
amplius augeri, vel minui, & quod in
assignandis congruis multum deferatur
judicio Ordinarii, limitatur quando tra-
etu temporis eadem congrua appetet
adè diminuta, & tenuis, ut cum ea
Vicarius nullatenus se sustentare possit,
Pafferin. in cap. Suscepti, de præben. in 6.
num. 14. Gratianus discept. 399. num. 12.
Card. de Luca de Paroch. disc. 19. num. 3.
& disc. 39. num. 7. & in Annot. ad Concil.
disc. 9. num. 11. Tondut. quaest. benefic. 58.
num. 7. to. 1. Pignattell. consult. 126. num. 1.
& seq. to. 10. Rota decis. 173. num. 1. & seq.
coram Seraph. & decis. 429. coram Gregor.
& decis. 48. num. 3. & seqq. par. 13.

11 Nec officit, quod Vicarius perpetuus
supradictæ Ecclesiæ Parochialis per mul-
tos annos vixerit cum dicta congrua sibi
in scutis decem, & in dictis emolumenis
assignata; hoc enim evenit eo quia idem
Vicarius fruebatur nonnullis fructibus
eiusdem beneficii simplicis per eum pos-
selli; qui fructus uniti cum emolumenis
Parochialibus sufficiebant pro ejus su-

stentatione; cùm autem hodie nolit am-
plius vivere ex fructibus dicti beneficii;
sed ejus sustentationem velit totaliter
pendere à fructibus Parochiæ, cui inser-
vit; congruum est, ut dicti fructus, &
emolumenta, Parocho assignentur a Re-
gularibus usque ad sufficientiam, nulla
habita ratione emolumentorum, quæ
idem Parochus, seu Vicarius ex aliis be-
neficiis, seu legatis extra Ecclesiam Pa-
rochiale percipere potest, quia ex eo
Altari quis vivere debet, cui inservit,
Tondut. quaest. benefic. cap. 58. num. 2. to. 1.
Rota in Compostellana Congrua 11. Fe-
bruarii 1715. §. Cùm enim, coram R.P.D.
Foscari.

Patet igitur ex supradictis congruam
assignari debere huic Parocho, seu Vicario
perpetuo etiam in decimis, quas Re-
gulares dicti Monasterii percipiunt. In
12 qua autem summa hujusmodi congrua
sit ei assignanda, ac taxanda: nihil cer-
tum determinavit sacrum Concilium Tri-
dentinum dicto cap. 7. sess. 7. de reformat.
sed totum reposuit arbitrio Ordinarii,
13 qui, secundum dignitatem Ecclesiæ,
qualitatem personæ Rectoris, & loci Pa-
rochiæ, quantitatem fructuum, & one-
rum, & numerum Animarum; quæ omnia in
hujusmodi congruis assignandis de-
bent attendi, Fagnan. in cap. Extirpanda,
de præben. & dignit. num. 17. Tondut. quaest.
benefic. cap. 58. num. 13. & seqq. to. 1. Gra-
tian. discept. 399. num. 3. & seqq. tom. 2.
Rota decis. 437. nu. 5. par. 3. & decis. 595.
num. 6. par. 4. Recent. & in Compostellana
Congrua 11. Februarii 1715. §. Totaque,
coram R.P.D. Foscari; potest Parocho,
14 seu Vicario perpetuo assignare majorem,
vel minorem congruam, quæ est veluti
dos Parochi, ad sopportanda onera ma-
trimonii spiritualis, quod contrahit cum
Christo, & cum Ecclesia, Paul. de Cidad.
de jurepatr. par. 3. §. Secunda causa num. 5.
Hurtad. de Congrua lib. I. resolut. I. §. I.

15 Divus verò Pius V. in ejus Constitu-
tione la 46. incipien. Ad exequendum,
Bullar. vet. determinavit congruam de-
bere esse certam, sed non minorem quin-
quaginta, nec majorem centum scuto-
rum, ibi -- Statuimus, ordinamus, ac decla-
ramus per Patriarchas, Archiepiscopos, &
Episcopos præfatos in assignatione portionis
ipsis Vicariis perpetuis ex prædicto Concilio
ipso-

ipsum Prælatorum arbitrio facienda ita se continere, & arbitrari debere, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annorum summam eis omnino assignetur -- Et testantur Fagnani in cap. de Rectoribus, de Cleric. ægrot. num. 9. Passerin. in cap. Suscepti, de præben. in 6. nu. 12. Cardin. de Luca de Paroch. disc. 20. num. 5. Monacell. form. legal. 1. tit. 15. n. 30. par. 2.

16 Cum hac tamen intelligentia, nimurum, quod congrua debeat Vicario assignari non minor quinquaginta scutorum, procedit quando emolumenta, seu fructus Parochiæ spectantis e. g. ad aliquod Monasterium ascendunt ad dictam summam, vel ad majorem, secùs si ad talem summam non ascendant, tunc enim non tenetur Monasterium assignare Vicario congruam usque ad summam scutorum quinquaginta, quia non tenetur assignare ultra id, quod percipit. Quod verò non possit esse major centum scutorum procedit attenta pure, & præcisè sustentatione Parochi, sive Vicarii perpetui; dum attentis aliis circumstantiis supra enumeratis, potest esse major, ut tradunt Cardin. de Luca in Annot. ad Concil. disc. 9. num. 10. Tondut. quest. benef. cap. 58. num. 13. tom. 1. Carolus Anton. de Luca ad Gratian. disc. 399. num. 1. & seq.

17 Assignata autem justa, & rationabili congrua Parocho, sive Vicario perpetuo Ecclesiæ Parochialis, iste ea debet esse contentus, nec aspirare ad fructus superfluos ejusdem Ecclesiæ, & illos in usus pravos, & indecentes convertere; sciat enim se quidquid præter necessarium vitum, & simplicem vestitum de Altari retinere, suum non esse, rapinam esse, sacrilegium esse, ut testatur Divus Bernardus epist. 2. ad Fulionem circa finem. .
 „ Timeant Clerici (sunt verba ejusdem „ Sancti Serm. 23. in Cant. explicantis illa „ verba Isaiæ 26. n. 9. In terra Sanctorum „ iniqua gesti). Timeant Ministri Ecclesiæ, „ qui in terris Sanctorum, quas possident „ tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ „ sufficere debeant minimè contenti, su- „ persluta, quibus egeni sustentari forent, „ impiè, sacrilegèque retinent: & in usus „ suæ superbiæ, vicuum pauperum consu- „ mere non verentur, dupliciti profectò ini- „ quitate peccant, quod aliena diripiunt, „ & sacris in suis vanitatibus abutuntur.

Pars IV.

18 Quæro hic, an Vicarius perpetuus presentatus ad Ecclesiam Parochiale, spectantem ad Regulares, teneatur se conformare Constitutionibus Synodalibus, & Ordinationibus Episcopi quoad omnia in ordine ad Sacramentorum administrationem, & curam Animarum.

Simili dubio responsum fuit affirmatiæ à Sacra Congregatione Concilii in una Pragen. Jurisdictionis 14. Januarii 1708. & 9. Junii ejusdem anni ad Quintum, ubi vertente jurisdictionali controversia inter Magnum Priorem Bohemiae Hierosolymitanæ Religionis ex una, & Archiepiscopum Pragen. ex altera partibus, disputata fuerunt infra scripta dubia:

Primò -- *An pro exemptione à jurisdictione Ordinaria Archiepiscopi sufficiat sola nominatio, seu deputatio Presbyteris secularibus facta à Superiore Divi Joannis Hierosolymitani in Ecclesiis dicti Ordinis pro Cura Animarum, quamvis ex causa non admitteretur ab Archiepiscopo, sive potius requiratur admissio, approbatio, & licentia Archiepiscopi, sive ejus Concistorii ad Curam Animarum, & administrationem Sacramentorum.*

Secundò -- *An prefati nominati, seu deputati ad dicta beneficia Curata teneantur examen subire, & professionem Fidei emittere coram Archiepiscopo, vel ejus Concistorio, antequam Curam Animarum exercant?*

Tertiò -- *An itidem teneantur praestare juramentum ad Curam Animarum debite obeundam coram Archiepiscopo, sive ejus Concistorio, & quomodo?*

Quartò -- *An dictus Archiepiscopus, sive ejus Concistorium pro predictis exigendis procedere possit jure ordinario, sive potius delegato.*

Quintò -- *An dicti nominati, seu deputati in dictis Ecclesiis, postquam reportaverint ab Archiepiscopo licentiam pro exercenda Cura Animarum teneantur se conformare Constitutionibus Synodalibus, & Ordinationibus Concistorialibus quoad omnia in ordine ad Sacramentorum administrationem, & Curam Animarum.*

Sextò -- *An dictis Presbyteris secularibus ut supra nominatis, seu deputatis in prefatis Ecclesiis, & ab Archiepiscopo examinatis, & idoneis repertis, teneantur idem*

Archiepiscopus concedere licentiam exercendi Curam Animarum, & quatenus affirmativa.

Septimò -- An in bujusmodi licentiis Archiepiscopus valeat sibi reservare facultatem eam revocandi ad sui beneplacitum, seu potius debent eam concedere pure, & simpliciter.

Octavò -- An Archiepiscopus debeat exprimere se procedere auctoritate delegata, dum procedit contra dictos Presbyteros exercentes Curam Animarum, itaut hoc non expressò, non teneantur illi ei obedire etiam in concernentibus Curam Animarum.

Nonò -- An Archiepiscopus praedictos Presbyteros exercentes Curam Animarum in casu non partitionis ejus præceptis possit pletere pena revocationis licentia exercendi Curam Animarum.

Decimò -- An prefati Presbyteri pro servitio dictarum Ecclesiarum valeant assumere Cappellanos pro celebratione Missarum in eisdem Ecclesiis sine licentia Archiepiscopi.

Quibus prodiit responsum, ad primum: Negativè quoad primam, & affirmativè quoad secundam partem. Ad secundum: Affirmativè quoad examen, & quoad professionem Fidei ad formam Concilii. Ad tertium: Affirmativè. Ad quartum: Jure delegato. Ad quintum, & sextum: Affirmativè. Ad septimum: Negativè quoad primam, & affirmativè quoad secundam partem. Ad octavum: Affirmativè. Ad nonum: Recurratur in casibus particularibus. Ad decimum: Affirmativè.

C A N O N I I. C L E M E N S V.

Plures ab uno ex Patronis Ecclesiæ relicti hæredes, vocem dumtaxat unius habebunt in præsentatione Rectoris.

Et ut faciliùs provideatur Ecclesiis, non inconveniens reputamus, Patronos ipsos inter se posse liberè convenire de Rectore ab eis alternis vicibus præsentando. Quibus etiam ex eadem causa permittimus, ut plures ad vacantem Ecclesiam possint eo modo præsentare personas, quòd una ex eis eligi per Episcopum valeat, & admitti.

COM-